



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dissertationes De Actibus Humanis

Karchne, Simon

Augustæ Vindelicorum & Græcensis, 1716

De circumstantia quibus auxilijs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39981

modatur in usum, aut pro securitate deponitur.

638. Quæres quartò: quid veniat nomine loci sacri ad effectum sacrilegij in peccatis, quæ juxta dicta commissa in loco sacro evadunt sacrilega.

Respondeo primò cum Lug. n. 474. videri certum quoad peccata carnalia, & furtæ non venire claustra, aut habitacionem Regularium, alias omnes se ibi polluentes forent sacrilegi.

Respondeo secundò cum eodem de Evch. D. 20. num. 58. etiam non venire oratoria priavata etiam destinata ab Episcopo ad celebrandum, non campanille adhærens Ecclesiæ, non sacrificiari, non capacitatem supra tabulatum Ecclesiæ: at bene spatiū intra tabulatum, & pavimentum illius cum capellis subterraneis, & superioribus, & annexo cæmeterio, proinde polluta Ecclesia polluitur etiam illud, non vicissim; accessorium enim sequitur naturam principalis, non econtra: unde reconciliatæ Ecclesiæ etiam reconciliatur cæmeterium: si plura sint cæmeteria, uno polluto non est pollutum alterum, neutrum enim est alterius accessorium.

Respondeo tertio ad effectum asyli, seu privilegij ne quis extrahi possit ex loco sacro venit tota fabrica etiam tectum, partes exteriore parietum, sacrificia, campanille, cæmeterium, monasteria, Hospitalia Authoritate Episcopi erecta.

De Circumstantia quibus auxilijs.

639. Nominé circumstantiæ quibus auxilijs intelliguntur quævis
R. P. Karch, Diff.

instrumenta, seu media, quibus quis usus est ad actum moralem bonum, aut malum, tam inanimata, quam animata: ut Sclopus, Gladius, Venenum, Sacra menta, res Sacræ, Homines, Dæmones, occasionesque voluntariæ peccandi proximæ: istæ non mutant speciem peccati, sed aggravant, nec fundant peccatum numero distinctum, cuius est periculum, dum hoc aditur, animo peccandi, & ipsum peccatum sequitur e. g. fornicatio: unde tunc non est obligatio exponendi aditum periculi: scilicet si quis adeat periculum proximum sine causa sufficienti animo non peccandi, at postea ibi constitutus succumbat: tunc enim, cum additus sit peccarum numero distinctum à postea secuto, oportet utrumque exprimere.

Qualitas instrumenti ordinariæ non variat speciem, nisi sit specialiter prohibitum, ut si occidas medio magico, aut rebus Sacris, vel Sacramentis sis abusus ad finem malum obtainendum contra virtutem Religionis.

Si medijs instrumentis animatis exequaris pravam intentionem e. g. hominibus à te inductis tuo Consilio, iustu, exemplo peccas malitiæ novâ scandali directi, aut indirecti, imò relate ad quædam scelera qualitas personæ inducta est explicanda: ut si inducas personam sacram, conjugatam, &c. ad actum turpem.

Unde à fortiori explicanda est circumstantia Dæmonis: si quis expressè, aut tacite auxilio ejus uritur ad mali executionem, additur enim species superstitionis.

P p p

D